



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

752. Ad quem fiat devolutio, dum Episcopus conferre non potest ob suspensionem ab officio, vel excommunicationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

riis, tempus sex mensium. *Garc. n. 26. ex Gamb. ubi ante*, adeoque minus proprie dicitur devolvi ab eo collationem ad Papam; vide dicta de potestate Legati conferendi devoluta.

Questio 751. Ad quem fiat devolutio, dum Capitulum & Episcopus circa simultanea collationis exercitium sunt discordes, & intra semestre non concordarunt?

Respondeo: quia tunc neutra provisio concludit, dum utraque dicitur facta à medietate, ad instar præsentatorum à parronis cum medietate vocum, locus est devolutioni ad Superiorem (intellige immediatum) *C. de Luc. de benef. d. 28. n. 16. & 18. Garc. p. 5. c. 4. n. 35.* quod intelligendum, dum uterque, nimirum Capitulum & Episcopus, valide & legitime suum jus exercet; nam ubi unus eorum negligit vel inutiliter agit, tunc totum jus devolvitur ad consortem, seu per jus non decrefcenti in eo consolidatur, *Card. de Luc. cit. n. 18.*

Questio 752. Ad quem fiat devolutio, dum Episcopus conferre non potest ob suspensionem ab officio, vel excommunicationem?

Respondeo: non fieri ad Capitulum, neque ad Metropolitanum, sed ad Papam, ad quem pertinet interim providere Ecclesiis, etiam si in conferendo non fuerit negligens inferior collator. Argumento *c. quia diversitatem, de concess. præb.* ubi dicitur, non ad Capitulum, nec ad Metropolitanum, sed ad illum tempore durantis suspensionis præbendarum donatio pertinebit, qui etiam non existente desidia & negligentia poterat præbendas donare seu conferre &c. nempe Papa. *Pirh. de concess. præb. n. 36.* Quod tamen limitandum ad beneficia, quorum collatio spectat ad solum Episcopum; secus si simul ad Capitulum & Episcopum; tum enim suspensio vel excommunicatio Episcopo, ad Capitulum spectat collatio, *c. unico. ne Sede vacante. in 6. & c. 1. de suppl. negl. præb. in 6. Pirh. l. c.* quod si tam Episcopus suspensus vel excommunicatus esset negligens in petenda absolutione, devolutio fiet ad immediatum Superiorem, cui sex illi menses incipiunt currere à tempore negligentia. *Gl. in c. 1. de suppl. negl. Pirh. loc. cit.* alioqui verò, si Papa durante excommunicatione vel suspensione Episcopi, non provideat, Metropolitanus debet expectare, donec Episcopus à censura absolvatur, & postquam absolutus, debet absolutus adhuc habere integrum semestre ad conferendum, ita ut antequam illud sit elapsum, non fiat devolutio ad Capitulum vel Metropolitanum, *Pirh. loc. cit.* Porro ad quem, censurato Capitulo, devolvatur collatio vide apud *Card. de Luc. de benef. d. 23. n. 24.*

Questio 753. An, si Vicarius Episcopi beneficium contulit indigno, ideoque pro ea vice privatur potestate conferendi, & non potest Vicarius rescissa priore collatione illud alteri conferre, juxta c. cum in cunctis. de Elect. fiat devolutio ad Metropolitanum?

Respondeo negativè, nisi forte Episcopus mandavit tali conferre, aut collationem tali factam ratam habuit. De cætero enim cum Episcopus committens Vicario facultatem confe-

rendi, censetur mandasse, ut idonea persona conferatur, adeoque Vicarius conferens indigno, transfusus est limites mandati, id Episcopo nocere non debet, quò minus ad eum redeat potestas conferendi, seu is digno conferre possit; neque enim culpa officialis aut Vicarii Domino nocere debet, *Laym. in c. Romana. de off. Vic. in 6. n. 9.* citans *Rebuff. in pr. tit. de Vicariis. num. 41. & tit. de forma Vicariar. num. 140.* Et licet Vicarius consideratus quò iudex, & jurisdictionem ex eodem cum Episcopo tribunali exercens, censetur eadem cum illa persona, non secus ac ipse Episcopus Metropolitanus subjecta, qui perinde Vicarium ratione officii male administrati, aut injustè lata sententia punire potest (secus si deliquerit ut persona privata) *Laym. ibid. n. 8.* citans *Pavin. de potest. cap. Sed. vac. p. 2. q. 10. num. 27.* *Sbroz. de off. Vic. q. 57. n. 6.* potest tamen Episcopus de delicto aut negligentia Vicarii in suo officio commissa cognoscere, eumque punire, si ipse sit extra culpam, *Laym. cit. num. 9.* citans *Sbroz. ubi ante, n. 11.* & *Speculatorem l. 2. p. 1. tit. de competentis jud. additione. n. 3.* Siquidem Vicarius etiam ratione officii, quodammodo subjectus & subordinatus est Episcopo suo, Et licet ejus potestas & jurisdictionis sit eadem cum jurisdictione Episcopi, alio tamen modo in Vicario residet, & aliter in Episcopo: in illo videlicet cum dependentia à voluntate & imperio Episcopi; quamobrem Episcopus invigilare debet Vicario, & quæ malè ab eo acta sunt, rescindere, *Laym. cit. n. 9.* Adde, quòd potestas conferendi beneficia neque sit potestas jurisdictionis, neque competat Vicario, quæ tali, nisi specialiter illi committatur.

Questio 754. In quibus beneficiis locum habeat devolutio?

1. **R**espondeo primò: in beneficiis propter affectionem vel reservationem spectantibus ad Papam, quantumcunque is differat ea conferre, locum non habet devolutio, ut dictum supra.

2. Secundò: in beneficiis vacantibus in mensibus spectantibus ad Ordinarium vi alternativæ, dum is conferre differat, locum non habet devolutio illa, quæ fit ad immediatum Superiorem, *Lott. l. 2. q. 24. n. 36.* contra *Gonz. gl. 53. ex n. 27.* cujus fundamentum est, quòd dicta gratia alternativæ perimat reservationem, propter quam aliàs devolvitur collatio immediatè ad Papam.

3. Tertiò: devolutio locum habet in manualibus; cum sua tamen causa, hoc est, cum dicta qualitate manualitatis. Argumento *cl. unic. de suppl. negl. Lott. loc. cit. n. 5.* *Garc. p. 10. c. 3. n. 46.* & *seq.* citans pro hoc *Gl. Card. & Bonifac. in cit. Clem.* Addit tamen *Garc. n. 47.* quòd collator inferior, qui intra semestre neglexit conferre, eo elapsò, re adhuc integra, possit purgare moram, & providere in beneficiis manualibus ex eo, quòd ad illius nutum sint amovibilia, quamvis in aliis beneficiis non sit locus purgationis moræ, nec valeat collatio post devolutionem, etiam re integra.

4. Quartò: locum habet in beneficiis regularium, hoc est, spectantibus ad collatores regulares; horum enim potestas conferendi ob negligentiam in conferendo devolvitur ad Episcopum seu Ordinarium loci, in quo sita beneficia, ita ut illa conferre possit tanquam Ordinarius, si illi collatores regulares sint Prælati non exempti, aliàs enim conferet